DE
PUTRESCENTIA UTERI

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN

MEDICINA HONORIBUS RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES LOCHER

TURICENSIS HELVETUS.

DIE XXVII. MARTII A. MDCCCXIX.

H. L. Q. S.

BEROLINI

TYPIS AUGUSTI GUILELMI SCHADII.

VIRO

EXCELLENTISSIMO

J. H. LAVATERO

M. D. PERITISSIMO

EGREGIE DE SE MERITO

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Ex morbis sexus foeminei iisque systematis uterini hic, de quo agetur, unus est atrocissimorum, cujus causa et effectus corpori vivo tam inimica sunt, ut malo aliquatenus provecto medelam vix reperias. Quibus accedit, quod difficile morbus discernitur, occulte sub levis mali specie fallaci formatus viresque adeptus, quo fit, ut malum, quum auxilium ferri jam posset, saepe non cognoscamus, cognito auxilium serum sit. Maximas ergo gratias Cel. Boerio [1]) debemus, qui primus medicorum animum in illud vertit, idque ut morbum sui generis constituit. Sed mirari posses, quo modo factum sit, ut morbus tam dirus medicos per longissimum tempus latuerit. namque eum, qui antea non exstiterit, novum esse ortum, vix quis existimabit, qui ejus naturam respicit. Sed cum origo illa occultior et decursus maxime varius nec certis phaenomenis conspicuus, verum symptomata multa of-

1) L. J. Boer Abhandlungen und Versuche geburtsh. Inhalts. Wien 1793. Tom. III, p. 73—108. — Edit. sec. Wien 1810. Tom. I, p. 181—205.

ferens, quibus prae vera causa exitus letalis tribuebatur, tum puerperarum post mortem corpora inspiciendi rara medicis concessa facultas morbum tamdiu obtexerunt. Post Boerium eodem fere tempore aliqua de hoc morbo in lucem edita sunt ab Jörgio [2]) et Schmidtmüllero [3]). Prior autem, propria, ut ipse dicit, rei experientia destitutus maximam partem tantum excerpsit, quae Boerius dederat, pauca de suis adjungens. Anno 1815 Jörgii discipulus J. E. Zimmermannus [4]) hanc sibi rem pro themate dissertationis inauguralis sumsit, morbique historiam a se observati narravit. Eundem Wenzel [5]) tractat in libro de morbis uteri, plura ejus exempla praxi prosecutus. Tandem praeterlapso anno Jörgius [6]) sententiam suam fusius explicavit adjuncta ejusdem aegrotantis historia, quam auspice eo Zimmermannus curaverat.

Eorum, quae de hoc morbo scripta jam edita sunt, haec mihi innotuerunt. Kaiser Dissert. de sphacelo uteri gravidi, quae Jenae

---

2) J. C. G. Jörg Handbuch der Krankheiten d. menschl Weibes. Leipzig 1809. §. 316—328.

3) J. A. Schmidtmüller Handbuch d. medic. Geburtsh Frankfurt a. M. 1809. §. 254. seqq.

4) J. E. Zimmermanni de Uteri Putrescentia Diss. in aug. Lips. 1815.

5) C. Wenzel über d. Krankheiten des Uterus. Main 1816. p. 44—52.

6) J. C. G. Jörg Schriften zur Beförderung der Kenntni d. Weibes u. Kindes. Tom. II. Leipzig. 1818. p. 1—50.

prodiit, non vidi. Primum nunc, quae de ratione morbi pathologica et therapeutica sententia mea est, proferam, deinde duarum aegrotantium historias, quarum unius in instituto medic. obstetr. Berolinensi sub auspiciis Ill. de Siebold curam gessi, subjungam.

§. 2.

Notio morbi atque decursus.

Putrescentiam uteri morbum dico eum, in quo nulla praegressa inflammatione uterus, aut brevi antea foetum enixus, aut foetum jam emortuum gerens, in superficie interna putrescit i. e. legibus vitae organicae, chemiae vivae, ut hoc utar, diutius non obtemperans resolvitur; quae eum constituunt partes, chemicarum affinitatum communes leges, chemiam mortuam sequentes alias inter se ineunt conjunctiones. Quae inflammationi succedit partis resolutio, gangraenam et sphacelum nominamus, atque ab illa, etsi causa proxima et effectus iidem sint, distinguimus. Illam Wenzel l. c. corruptionis sphacelosae, Schmalz in Tabb. diagnosticis gangraenae spontaneae nomine designat.

Decursus atque symptomata, uti jam supra dictum est, maxime varia sunt, ita ut Boerius, qui saepe morbum vidit, dicat p. 81 [7]: Ihre (der Krankheit) ganze Karakteristik besteht vielleicht darin, nichts Karakteristisches

7) Semper Edit. prior citatur.

zu haben. et p. 86: Obwohl ich mir schmeicheln darf, diese Krankheit ziemlich genau zu kennen, so zwar, dafs ich ihre Gegenwart schon von ihrem ersten Ausbruche an kategorisch bestimmt, und das traurige Ende auf Tag und Stunde vorausgesagt habe — so kann ich dennoch keine so deutliche Zeichen davon angeben, dafs der Leser dadurch in den Stand gesetzt würde, dieselbe an der Gebärenden oder der Kindbetterinn mit Sicherheit zu erkennen. — Sed si res, ut bene Jörgius monet, prorsus ita se haberet, ipse Boerius morbum modo incipientem cognoscere atque exitum tam certo praedicere nequivisset, causamque et naturam mali si inspicimus, signa quaedam, e quibus suspicari id licet, esse verisimile fit. Quum autem putrescentiam veram nonnisi post foetum utero exclusum vel certe in eo mortuum oriri arbitrer, ea quae jam in graviditate deprehenduntur symptomata, dispositio potius, vel prodromi, quos putrescentia sequi potest nec debet, sunt quam signa diagnostica, ex quibus praesens malum dignoscitur. Illa fere haec sunt.

Aegra vel inde ab initio graviditatis, quod rarius fit, vel in ejus decursu deminutionem virium gravem patitur, et lassiorem se solito sentit: quae infirmitas foetu augescente itidem augetur. Sub finem facies collabitur, oculi languescunt, color pallescit,

fit cachecticus, animus tristis moeret, timore vexatur vel nimis facile irritatur, ceteraque debilitatis universae signa adsunt. Mali sedem quae certius nobis indicant, accedunt topica quaedam signa. Uteri substantia in attactu mollior et laxior sentitur, manuique appressae minus resistit; magnitudo nonnihil deminuitur aeque ac vaginae calor, simul cum sensu aucti ponderis. Quamquam haec symptomata putrescentiam minime comprobant praesentem, tamen indicant malam quandam uteri affectionem et dispositionem, cui ut jam nunc obviam eamus, atque ad omnia, quae in partu et postea accidunt, diligenter animadvertamus, nos evocant. Sub partu ipso dolores quidem adsunt sed parum efficaces, ita ut lentius ille procedat, nec natura sola perficere eum valeat nisi pelvi legitime formata, foetus que et situ justo et magnitudine, difficiliori autem par non sit, artisque auxilium requirat. Malo jam aliquanto provectiore ac foetu mortuo, foetidus ex utero odor spargitur, placenta primas putredinis notas refert, flaccida est, colore livido, e viridi flavo, consistentia molli et pulposa: etiam funiculi umbilicalis et foetus color mutatus est. — Ex quibus haud scio an malum jam divinare liceat: quae vero partum sequuntur, certiores nos faciunt. Omnia enim, quae systema uterinum ad conditionem extra graviditatem revertens declarant,

minus rite eveniunt. Uterus eadem magnitudine, qua quinta partus periodo esse solet, modo mollis et laxus, modo crassus et durior super ossibus pubis sentitur, sub attactu plerumque non dolens (dolores si moventur, a conjuncta quadam inflammatione abdominali sunt) nec quum interne exploratur, uterus valde dolet, immo minus calet vel ipsum orificium jam destructum percipitur. Lochia fluere videntur, sed sensim sensimque fluxus eorum turbatur, minuitur, nec quo ordine debet mutatur, verum postremo humor ichorosus, ater emanat, vel, quod Boerius vidit, jam secundinae cum sanguinis grumis pessime olentibus multoque liquore corrupto secesserant. Nec tamen lochia semper tam commutata reperiuntur, ut a malo in tantum provecto exspectes. Cum his signis diagnosticis, e quibus malum satis certo, sed fere insanabile cognosci potest, cetera quae corpus pessime affectum demonstrant, conjuncta sunt.

Quamvis omnia vitam in summo discrimine versantem probent, ea quibus puerpera queritur, exigua sunt, neque iis quae sensibus percipimus, consentiunt. Virium ab initio tanta est defectio, quae neque tempori morbi neque symptomatum vehementiae respondeat. Nec cutis nec facies umquam eo turgore tumescunt, qui in puerperis observari dicitur: immo tota corporis superficies collabitur, oculi sunt languidi, sub finem

concavi, faciei totius adspectus patiens, occulti mali index. Mammae lacte non turgent, vel si turguerunt, rursus concidunt et flaccidae fiunt. Pulsus semper est perfrequens, parvus, si inflammatio simul adest, et durus. Febris est continua remittens cum exacerbatione minus regulari: plerumque sub vespere calor augetur modo frigore nullo praegresso, modo vehementi, praesertim quum finis non procul abest. insequens sudor aegram non modo non levat, verum magis consumit vires. Nox sine somno, inquieta, turbata insomniis esse solet. Lingua humida haud ita impura, sapor amarus, ciborum appetitus fere nullus, sitis vero omnium ardens: urina modo flava ut sanae, modo fusca, turbida: alvus interdum adstricta vel rite laxa, plurimum vero diarrhoea cum sedibus fuscis, mucosis et male olentibus adest, ac saepe vomitus pituitosus, amurcae viridis similis. — Morbo progrediente tum haec symptomata augescunt, tum nova, quae morbis aliis inprimis febribus malignis conveniunt, pessimique sunt ominis, superadduntur, ut: convulsiones, sermonis usus deperditus, respiratio anxia, faecum atque urinae, inscia aegrota, secessus cet. His phaenomenis mors tandem succedit.

Minime vero decursum ubique ita se habere credas. in quovis enim putrescentia mutabilis atque fallax maxime est, ita ut

periculum de inopinato exsurgat aegraque pessumdetur. Puerperam, quae mane satis bona valetudine frui visa fuerat, vespere subito febris accessus opprimit, cui deliria et convulsiones superveniunt, summumque vitae discrimen imminet. Boerius aegras, quae adhuc officiis suis functae, post levem partum in debilitatem summam atque febrem exiguam incidentes, paucis diebus mortuae essent, se vidisse narrat, vel in aliis aegrotis abdomen semper molle, haud ita dolens, pulsum naturalem, linguam puram atque caput liberum observavit, alias, quae nuperrime pepererant, convulsionibus enecatas: et p. 87. in casu aliquo mammae perpetuo lac continuerunt, immo post mortem majori copia repletae sunt — in quibus omnibus putrescentiam uteri invenit. Verum tamen est, in prima historiarum, quas diatribae suae adjunxit, putrescentiae rheumatismum uteri malignum ex refrigerio vehementi, in secunda corporis libidinibus corrupti universam cacochymiam, et in quarta inflammationem intestinorum, omenti ac peritonaei, quae in gangraenam exiit, supervenisse, atque aliquo modo decursum commutasse.

Tempus morbi maxime differt, et neque de hoc neque de fine certi quidquam statuere licet. Si magis puerperalis febris speciem prae se fert, brevi et turbulenter oocidit, a die secundo ad quartum. Contra si

lentiori gradu ac placidiori procedit, usque ad diem 20. perdurare potest. Pleraeque ante diem 11. obeunt: quae diem vigesimum vixit, Boerius non vidit. Immo tanta interdum celeritate utitur, Boerio auctore p. 84., ut, partu haud quaquam difficili finito, uteri resolutio paucas post horas sine ullo signo praegresso ac sine ulla causa conspicua eum gradum assecuta sit, ut ichor effluens metalla arrodat, digitosque et ungues explorantis fusco colore, quem abluere fere nequeat, tingat. Quae aegrae non raro maculas magnas, ex atro rubras, purpureas in brachiis et pedibus habuerunt nunc evanescentes, nunc denuo apparentes.

Conjunctam reperimus putrescentiam cum variis viscerum abdominalium inflammationibus, intestinorum, peritonaei, omenti cet. cum febri igitur puerperali eaque, quae hanc comitatur, propensione ad exsudationes lymphae concrescentis, lacteaeve materiae, quae Boerius et Jörgius dicunt d e p o s i t a. Interdum miliaria erumpunt, quae mane exorta vespere sunt cristallina. Haec omnia eo difficiliorem reddunt diagnosin, quo magis animum a morbo, qui primus est, et ex quo ceteri originem ducunt, avertunt, et ut illum negligentes hos curemus, nos movent.

§. 3.

Sectiones cadaverum.

Primum ea afferemus, quae in ipsa morbi sede occurrunt, et quae sibi ubique constantia, propria morbi signa sunt, nostramque ab aliis organi affectionibus similibus distinguunt.

Dissecto abdomine uterus supra ossa pubis majori volumine, quam hoc tempore par est, sese offert, ab orificio ad fundum fere 6 — 7. Pollic. Paris., a latere uno ad alterum 5 — 6. Poll. Superficies externa plerumque sordide alba, interdum albissima est, rarius loca livida, coloris plumbei apparent, tantummodo si resolutio parenchyma uteri pervasit. Saepius in peritonaeo quod uterum investit maculae rubrae, et vasorum sanguine repletorum fasciculi, ut levis inflammationis vestigia, adsunt. Quum uterus persecatur, parenchyma sentitur admodum molle, lardi infumati simile, sine ulla duritie, qualis in partibus post inflammationem gangraenosis deprehenditur, ejusdemque coloris est cum superficie externa, magis minusve album: parietes crassiores, quam in utero sano solent. Sed interna demum superficies omnem mali summam exhibet. Resoluta enim, quasi pulposa, gelatinosa uteri massa hic est, tota superficies quasi unguine atro vel livido oblita, quod scalpello facile

deraditur. Haec destructio profunde in parenchyma non irrepsit, solum ad lineas 2 — 3.: quo loco placenta inserta fuit, intimius inhaeret, ita ut parietis non parva frusta secedant, si scalpello perstringitur, ut Jörgius dicit [8]). Boerius refert, post 14. dies et ultra in loco eo corruptos inveniri flocculos placentae vel membranae deciduae hic crassioris, qui scalpello difficilius solvi possint. Prae omnibus autem collum uteri atque labia orificii putredine destructa sunt ac plane resoluta. Vagina integra plerumque est, vel sola pars superior depravata ob contagionem cervicis uteri; quamquam ab ichore effluenti eam quoque postremo corrumpi necesse est.

Ex iis quae hucusque allata sunt, quantopere haec gangraena spontanea discrepet ab illa inflammatoria, clarum est. Primum ruber margo, qui loca post inflammationem semper cingit, partesque mortuas a vivis separat, itidemque durities deest, quae illic invenitur. Deinde eo distinguuntur, quod sphacelus utramque superficiem uteri occupat, atque in singulis locis ejus parietes pervadere amat, quum putrescentia super internam solum superficiem extenditur, eamque omnem obducit, sed minus pene-

8) Schriften zur Beförderung der Kenntn. des Weibes Tom. II. p. 5.

trat: haec extensive, illa intensive maxime agit. Praeterea collum et orificium uteri a putrescentia prae ceteris affecta, a sphacelo magis immunia sunt.

Quae in aliis partibus ad genitalia pertinentibus obveniunt, maxime diversa sunt. Interdum omnia sana, alias ovaria, tubae, ligamenta uteri corruptionis vestigia offerunt, tubae ex parte inflammatae vel lividae, flaccidae sunt et laxae, ovaria indurata, modo majora modo minora vel livida.

In abdomine viscera plerumque relaxata vel unum alterumve vel plura inflammata, et exsudationes lymphae puriformis, ut in febri puerperali esse solent, reperiuntur.

Pulmones saepe decolores, laxos atque tuberculosos Jörgius, graviter exulceratos Wenzel vidit. — In casu quem Boerius refert p. 97., quatuor post mortem horis magnae maculae gangraenosae in humeris et femoribus eruperunt.

§. 4.

Causa proxima.

Longa fuit disceptatio, num putrescentia sine priori inflammatione oriri posset: qui negabant ad inflammationem certe occultam confugerunt, si in vita non fuerant symptomata manifesta. Omnino verum est, multa in corporis mortui cavis omnibus nos saepe invenire, quorum in vivo nec signa compa-

ruerant ideoque nec nos suspicionem habueramus: nec raro destructiones et vitia fabricae occurrunt, de quibus comprehendi vix potest, qua ratione corpus vivum sine maximis turbis, modo digestionis modo respirationis modo circulationis seu cogitationis, perstiterit; quorum vitiorum multa exitus inflammationis occultae habenda, nec aliter explicantur. Huc pertinet v. c. exemplum pulmonis magnam partem exulceratione consumti, quin homo vivus dolore pectoris, tussi vel exscreatione laborasset [9]), abscessus hepatis occultus [10]), gastritis occulta [11]), enteritis vehementissima latens [12]), et s. p. — ita ut sententiae de inflammatione occulta non adversetur, inflammationem organorum internorum adesse nequire, nisi symptomata a nobis percipiantur. Sed in partibus externis, quae cavis non inclusae, apertae sub oculis nostris positae sunt, inflammatio vix nos fugere posse videtur. Quocirca si partem externam in gangraenam s. putredinem abire cernimus, quin inflammatio praecesserit, illam sine hac etiam in internis nascentem conjicere licebit. Hac ra-

9) Cf. Gilibert Samml. prakt. Beob. u. Krankengesch. p. 373.

10) Meckel neues Archiv d. prakt. A. K. Thl. I. p. 24.

11) de Haen Rat. Med. Tom. IX.

12) Stoll Rat. Med. Tom. I. — Reyland, B. J., de inflammatt. latent. Ingolst. 787.

tione gangraena senilis absque ullo vestigio inflammationis pristinae, a primis initiis ut gangraena per resolutionem sese prodens, in partibus oritur, quae undecunque sensibus nostris patent. Idem in sphacelo scorbuticorum observamus, atque idem in putrescentia uteri fieri arbitror. Supra enim jam allatum est, et in mortuis signa inflammationis deesse, nec ea in vivis percipi. Haec est Boerii, Jörgii, Zimmermanni et Wenzelii sententia, quorum ultimus tria genera destructionis sphacelosae statuit: primum, quod inflammationem apertam, secundum, quod leviorem statum inflammatorium sequatur, tertium, quod sine inflammatione oriatur.

Ratio qua nascuntur licet tam diversa sit, utriusque tamen gangraenae causam proximam eandem puto, vim vitalem exhaustam. Namque ut materies organica per se resolvatur, vitam organicam prius emori necesse est. Inflammatione summum fastigium assecuta, vis vitalis subito collabitur, exhausta per eam quam dicunt hyperirritationem. Simile quid fit per graviditatem, in qua vis vitalis etiam excitata, in uterum inprimis congesta est, qui prae ceteris majori vita gaudet. Quod si corpus jam antea minus valuerat, vel in organo quodam nobiliori affectio morbosa latuerat, omne robur ad perficiendam graviditatem consumitur, quo

opere absoluto, vita, quae per excitationem illam constiterat, corpus sustentare diutius non valet, sed vis vitalis collapsa ruit, ac massa corporis sibi ipsi commissa secundum leges chemicas resolvitur, quod primum et praecipue in ea parte fit, cujus vita prius prae ceteris excitata prima exhausta est. Sic quae in aliis partibus morbosa irritatio, inflammatio, efficit, eadem in utero status naturalis, graviditas, gignit. Eodem modo ob vitae excitationem phthisin in graviditate videmus subsistentem, post partum vero aegrotam praecipitem ad mortem ferri.

Quum foetu excluso vita auctior ab utero ad alia organa, mammas, transmigret, et uterus, quem, ut ad conditionem naturalem revertatur, lochia secernere atque superficiem internam, praesertim qua placenta inhaeserat, sanare oportet, debilitatus huic operi par non sit: humores in vasis maxime relaxatis stagnantes magis etiam corruptioni favent, ac locus, cui placenta affixa fuit, profundius laesus primum atque profundius depravatur. Eadem ratione cervicis uteri prae corpore major destructio mihi explicanda videtur, pluraque ad eam confluunt. Sub partu enim orificium disrumpitur, laeditur vel facillime comprimitur, seu capite foetus seu manu instrumentove immisso, quas Schmidtmüllerus solas causas malignissimae inflammationis putrescentiae semper praece-

dentis putat p. 360. Praeterea ichor a parietibus hic confluens destructioni favet. Vasorum collapsum et vim texturae uteri qua se contrahit fractam, quam Wenzel causam proximam habet, non solam dixerim. partum enim non nimis difficilem ipsius uteri contractione perfici videmus. Sed ut idem porro dicit, vim vitalem totius corporis evanescentem omniumque systematum simul quum nervorum tum vasorum ideoque et reproductionis defectum causam puto. Boerius a membranae deciduae corruptione putrescentiam uteri pendere censet, plane autem Jörgio [13]) assentior, illam potius ex hac gigni judicanti.

§. 5.

Causae remotae.

a) Causae disponentes.

Ex iis quae de causa proxima dicta sunt, facile colligi potest, quaenam sit corporis constitutio et quales causae externae, quae ad hunc morbum propensas faciant foeminas. Constitutio est laxa, spongiosa, corpus phlegmaticum, humoribus serosis repletum atque obesum, vel cachecticum. Fortasse etiam utero dispositio topica inest, ex debilitate et laxitate propria.

Inter

---

13) Cf. Zimmermann l. c. p. 14. Jörg. Geburtshülfe. §. 240.

Ex causis externis omnia, quae corporis universi vigorem imminuunt, morbo de quo agitur, oriundo favent. qualia sunt victus tenuis et pravus, aër depravatus, frigus humidum: quocirca autumno et hieme, qua hominum numerus cubiculo uno inclusus vitam degit, neque aër umquam redintegratur, saepius ille occurrit. Quo omnes affectus animum deprimentes, continua animi tristitia, moeror et vita aerumnosa plurimum conferunt. Quae quum omnia maxime in mulieres paupertate pressas et prae ceteris in eas cadant, quae extra matrimonium conceperunt, hae morbo magis obnoxiae sunt: quamquam nec foeminae nuptae vitaeque molestiis minime obluctantes eo immunes sunt, ut Boerius observavit. In has alias causas egisse necesse est, ut: partus priores difficiles, metrorrhagiae, coitus nimius vel alia hujus generis, vel uteri per foetum praegrandem aut aquas copiosiores nimia expansio, vel obliquitas, qualem Jörgii et nostra aegra passae erant: vel quae Wenzelii observatio jam laudata est, organi cujusdam nobilioris vitium, ut pulmonum exulceratio cet. Quum in Boerii et nostrorum casu altero mater gemellos, Jörgii aegra et nostrarum altera infantem permagnum gessissent, inde fortasse concludi potest, uterum in formandis his foetibus nimis

elaboravisse, eoque exhaustum in putredidem abiisse.

b) Causa occasionalis.

Haec sola graviditas et partus mihi esse videtur. In hac sola adsunt, quae morbum procreant, vitae prior excitatio, interna uteri superficies laesa, secretio lochiorum turbata. Si vita graviditati ad finem perducendae non sufficit, foetum prius occidere, posteaque putredinem incipere posse existimo, sed foetu adhuc vivo putrescentiae locum non esse.

§. 6.

Prognosis.

Morbi a causa corpori tam valde inimica proficiscentis prognosis non pessima esse non potest, et tantum curationi sub primis initiis institutae spes aliqua inest. In graviditate igitur, in qua tantummodo dispositio obtinet, meliora praedicenda sunt, sed quum ratio qua malum se prodit, tam obscura sit, saepe, quo tempore sperare quid liceat, non cognoscitur, ubi signa diagnostica adsunt, fere conclamatum est. Sic placenta depravata, lochia ichorosa, odor foetidus pessimi sunt ominis. nec tamen lochia minus depravata uterum minus corruptum probant. Decursum et tempus morbi et rationem finis mi-

nime praesagiri posse, jam §. 2. disputatum est. — Quae Boerius diagnoseos momenta hac atque illac dispersa affert, diligenter collecta haec sunt.

In foeminis fibrae tenuioris et delicatis morbus convulsiones excitat, quibus mors statim succedit.

Si morbus characterem febris puerperalis assumit, magnoque cum frigore paroxysmi ingruunt, mors non longe abest; paucissimae accessum tertium sustinent.

Flocci albi atque tenaces cum faecibus copiose excreti pessima portendunt, pariterque lumbrici mortui per vomitum vel alvum ejecti.

Quo plura vomitu ejiciuntur, quo minori negotio, eo propius imminet periculum.

Intra triduum jam obierunt, quarum alvus perpetuo obstructa neque clysmatibus neque aliis rebus purgantibus solvi potuit.

Conjunctionem cum alio morbo malum per se jam gravissimum, eo periculosius reddere, clarum est; de quibus supra jam dictum.

Quae in omnium morborum prognosi respicienda et quae in omnibus mala sunt, hic quoque valent: difficultas causarum amovendarum, constitutio epidemica et endemica, pulsus, respiratio difficilis, valde anxia,

sudores profusi, faecum atque urinae, inscia aegrota, excretio cet.

§. 7.

Curatio.

Ut in quovis morbo prima est indicatio cura causalis, causarum remotarum amotio, sic etiam in putrescentia praevalet: nisi causae remotae e medio sublatae sunt, quaequae remedia tententur, irrita erunt. In nostro igitur morbo diaeta et regimen, e quibus ille saepissime pendet, primum probe instituenda sunt. Aegrota aëre fruatur puro, sicco, modice calido, victu sano, qui et corpus nutriat, et facile concoquatur: frequenter sub dio in locis apricis deambulet, si per anni temperiem fieri potest, vel alio motu corpori apto utatur: vestitum habeat nec nimis calidum nec frigidum, praesertim abdomen et crura calidis vestibus tecta sint, eorumque refrigerium summa cura arceatur. Maximi autem momenti est, ut quisque affectus animum affligens vitetur, ut aegra sit hilaris, nec moereat, nec irascatur. Quum hae causae inter graviditatem morbi futuri semina spargant, curam hanc causalem jam ante partum institui necesse est, ut potius sit prophylatica, de cujus successu felici exempla non desunt. Ill. de Siebold in instituto clin. obstetr. Berolinensi aegrotantem sanavit, cujus historia infra da-

bitur. — Aliae causae partu solo removentur, neque antea tolli possunt, v. c. uteri distentio magna, obliquitas cet., aliarum cura eadem quae causae proximae est.

Indicatio secunda cura est radicalis. Quum universa vis vitalis omniaque ejus systemata pariter laborent, complures methodi in usum vocentur opus est, ut cuique systemati auxilium aptum subministretur, tam vasorum, irritabili, quam nervorum, sensibili, et reproductioni. Methodi igitur, excitans, roborans et restaurans adhibendae sunt. Vis vitalis excitetur analepticis, quae in nervos, corroboretur tonicis, quae in fibras vim exerceant, ac restauretur nutrientibus, quae toti corpori integram novamque materiem subvehant. Excitantia tonicis viam sternunt, ut in corpus suscipiantur, nec sine tonicis nutrientia penitus assimilari queunt: sic illa haec adjuvant, atque ab his adjuvantur.

Verum quia localis destructio adest, quae rursum in ceteras corporis partes vim suam noxiam exserit, localibus remediis eam coercere studemus. putrescentiae opponimus antiputredinosa, antiseptica. Haec quibus Boerius solis, omissis internis, confidit p. 106, ceterorum scriptorum nemini neque Sieboldio sufficiunt: ipsamque hanc methodum in instituto obstetricio Viennensi seriori tempore omissam esse, Jörgius memorat p. 20.

Interne secundum morbi naturam commendantur tum aromatica et spirituosa, tum amara et adstringentia, e quibus praesertim eligenda erunt, quae in uterum vim habent propriam, fortasse castoreum, ol. animal. aeth., ol. sabin., liq. ammon. pyro-ol., c. cinnamom., camphor., valerian. cet. aptis dosibus porrecta, cum Cort. Peruv., cascarill., r. calam. arom., lich. Isl. cet.: pro cibo nutrientia, quae facile digeruntur, aromatibus modice condita, quamvis aegra, desiderio ciborum tam imminuto, paucis fruitura sit: pro potu aqua cum vino, cum succo citri et saccharo, vel cum Mixt. sulphur. acid., acido phosphor. ac syrupo, vel alia hujus generis. De regimine ea valent quae supra dicta sunt.

Sed non parva auxilia ab externis remediis petuntur, quae et vi sua proprie antiseptica putredinem progredientem cohibent, et vi irritante partes nondum affectas ad majorem actionem suscitant, ut emortua separentur, orta suppuratione inter ea quae vigent et quae putrescunt. Hunc in finem Boerius linimento usus est, quod pulvillis illitum instrumenti ab ipso excogitati ope utero applicavit. Intra 24. horarum spatium a sanis partibus separatio putridarum contigit, quae in floccis vel frustis latis secedebant. aegrae continuata suppuratione convaluerunt. Quibus medicaminibus praestans

hoc linimentum compositum sit, non indicavit. Verum haec methodus Jörgio minus probata est, primum quia pulvillorum per orificium magis minusve jam contractum immissio nimia prematur difficultate, ac uterum ejusque functiones ad modum turbet, ut plus detrimenti quam emolumenti aegrae exinde nascatur: deinde quia uterus, omnium, quae in ejus cavo contineantur, post partum impatiens, sese contrahat et pulvillos ejiciat, inprimis quum totum cavum referciri debeat, ne ulla pars aegrota sine remedio sit. Praeterea Boerius se primum penicillo hoc linimentum uteri parietibus illinere voluisse scribit, sed e penicillo nihil detritum esse nihilque in loco aegro haesisse, quod idem in pulvillis fieri credo, nisi confertim in uterum stipentur. Quocirca injectiones, quas ceteri laudant, praeferendae videntur iisque salus quaerenda. Sed saepius repetantur, horis ternis vel quaternis, atque ut per tempus aliquod cum utero in contactu retineantur, aegram supinam jacere, regione coxae sublimi, injectoque liquore orificium occludi oportet. Propterea non per vulgarem siphonem uterinum fit injectio, sed primum ori uteri corneus tubulus immittitur, qui apicem siphonis excipiens in orificio relinquitur, atque injecto humore spongia, quae tubulum cingit, ad orificium apprimitur. Copia injiciendi humoris pro utero magis mi-

nusve contracto differt, ejusque vis prout doloribus afficitur uterus, mitigatur. Injiciuntur infusa aromatica, decocta amara et adstringentia, infus. rad. calam. aromat., fl. chamom., scordii cet. cum vino vel aceto; decoct. Cort. Peruv., cort. querc., rad. caryophyll., aq. calcis cet. Praeter injectiones etiam fomentationes et frictiones abdomini applicantur, quarum praecipuus in graviditate est usus, quum injectiones locum nondum habent: fomentationes ejusdem generis atque eorundem medicaminum, quibus ad injectiones utimur, modo siccae, scuta aromatica, modo humidae et calidae, vino vel spiritu vini paratae adhibentur, frictiones cum linim. ammon. camph., Ung. aromat., oleis aethereis in spiritu vini solutis cet. Balnea aromatica curam multum adjuvabunt. Haec remedia quum interna tum externa si aegram servarunt, per tempus aliquod continuari debent, ut universum corpus et organon affectum penitus redintegretur.

Sed quod Boerius dicit p. 103. silentio praeterire nequeo: Alle gegen Putrescenz angezeigte innerliche und äuſserliche Mittel, Injectionen, Fomente, Purgir- und Brechmittel, der antiphlogistische, so wie der antiseptische Apparat in den verschiedensten Perioden der Krankheit dawider angewendet — alles war fruchtlos. Et p. 106. Die andern Patienten dieser Gattung bekamen

zur Zeit Wolverley, Mindererusgeist, Kampfer, China, Moschus auf alle Art und Weise, und starben alle. Diese (quae linimento supra memorato externe curatae fuerant) bekamen von alledem nichts und genasen.

Jörgius injectionum remediis internis junctarum eventum prosperum hieme 1815—16. se vidisse ait. Wenzel parva loca putrida sanari sed minime externis medicaminibus credit.

Gravissima putrescentiae cum febri puerperali conjunctio curam difficiliorem etiam reddit: quae enim in alteram convenit, alteri adversari videtur. Sed ipsam febrem, si inflammatoria esset, corpus omne a putrescentia non jam prorsus affectum atque debilitatum significare eamque pro charactere curari posse existimo, putrescentiam vero topicis remediis praesertim injectionibus coercendam. Si febris nervosa vel putrida est, quae semper fere erit, utriusque mali cura non ita differt, ut conjungi nequeat, immo eadem est. Cavere febrem studemus sedula transpirationis cura, refrigeria et affectus animi diligenter vitando, secretione lactis per calorem mammarum et brachiorum et per fomentationes adjuta. Febri accedente periculum eo gravius imminere dubium non est, factaque exsudatione omnia incassum erunt.

Historia aegrotantis putrescentia uteri emortuae.

L. K. annorum 32. die 6. Novemb. 1818. in institutum obstetric. Ill. de Siebold suscepta, corporis constitutione videbatur satis robusta beneque nutrita, sed facie decolori: tertio gravida, priores foetus leviter enixa, sed post secundum partum metrorrhagiam passa erat. Extra matrimonium conceperat mense Februarii. Per omnem graviditatem bene valuerat, sed curis futuri temporis, praesentis laboribus vexata. Continuo partum infelicem praesertim haemorrhagiam obtimuit, qui timor sub graviditatis finem ita auctus est, ut nihil nisi de morte loqueretur, vitamque desperaret. Exploratio quae a matre pendent legitima docuerat, foetus pars quae projaceret nulla sensa est. Per duas septimanas, quas gravida in instituto usque ad partum degebat, saepius de dolore ardente uteri querebatur, summaque animi dejectione laborabat. Diebus postremis exiguum sanguinis ex utero profluvium aderat, quod diei 20. Nov. vespere admodum vehemens prorupit auctis doloribus. Venaesectio, injectiones atque interne Mixt. sulphur. acid. per noctem maxima parte haemorrhagiam sedarunt Ill. Siebold placentam cervici uteri insertam suspicabatur. Mane diei 22.

aegra in horrorem conquassantem, qui aliquoties redibat, incidit, subsequente magno aestu. Quum per noctem aquae furtim defluxissent, Siebold denuo eam exploravit. Femur foetus in orificio, caput in latere dextro, pectus retrorsum erat. Aquarum defluxus, uterus circa foetum contractus ac metrorrhagia debilitatus artis auxilium exegerunt. Foetus ab Ill. Siebold celerrime per inversionem in pedes eductus est, mortuus, coloris subflavi, lividi, qui etiam funiculi umbilicalis erat. Tum hic color, tum foetidus sub initio partus ex utero sparsus odor, placentae consistentia pulposa et flaccida ac color depravatus Sieboldio suspicionem putrescentiae uteri moverunt. Metrorrhagiam genuerat separatio placentae ad collum uteri affixae. Sanguinis post partum fluxus satis quidem copiosus fomentationibus ex aceto et aqua brevi cohibitus, uterus ad solitam magnitudinem contractus est. Quum puerperae dolores modici nec morbi forma certa adesset, nihil praescriptum est nisi summa corporis animique quies et victus tenuis. Vespere hujus diei puerpera in calorem et postea in sudorem incidit: nox non insomnis.

Mane postero summa lassitudine, siti, ac dolore capitis querebatur, abdomen sub attactu mollis parum dolebat, cutis humida, calida, pulsus frequens, plenior quam heri,

non durus; lochia fluebant, mammae lacte et dolore carebant; appetitus ciborum nullus. Quum alvus per 2 dies laxata non fuisset, clysma et Mixt. e kali acetic. et kali sulph. exhibita.

Nov. 24. Status fere idem: dolores minuti. Quum multo plura eaque celerius loqueretur quam antea, palpebrasque celeri motu ageret, de affectione cerebri cogitavi. Ad alvum nondum solutam promovendam kali sulphur. dosis aucta est.

Nov. 25. Sitis vehementissima, pulsus ad modum frequens, nec durus. Aegra omnibus querebatur, medicamine, potu, situ, lecto, capite, lassitudine.

Nov. 26. Capitis gravitas, aurium susurrus, sensus defatigationis in dies auctus, pulsus cum eadem frequentia minor characterem febris nervosum significabant. Dolores abdominis aucti, nec tamen urina inflammatoria, sed flava ut sanae, oculi et facies collapsa. Per noctem prorsus insomnem metrorrhagia reversa Mixt. sulphur. acid. sedata fuerat: lochia adhuc rite fluxerant. Porrectum est Infus. valerian. c. Tinct. aromat. acid.

Nov. 27. Vespere diei hesterni metrorrhagia denuo orta aegram ita affecerat, ut animus eam linqueret, extremitates frigerent et oculi rigescerent. Injectiones ex aceto deminuerunt illam, sed per totam noctem san-

guinis aliquantum emanaverat. Hoc mane omnia symptomata adaucta, virium exinanitio, capitis gravitas, respirationis difficultas cet. Hora nona sanguis rursus effluxit copiosus, orificium ita apertum erat, ut digiti 4. immitti possent, magnaque sanguinis coacti mola extraheretur: pulsus sentiri paene nequibat, ictuum 156—160 in horae minuta. Injectiones e spiritu vini factae, et ne ad ultimum tempus quidquam inexpertum relinqueretur, Tinct. cinnam. et spir. sulphur. aeth. in aq. meliss. exhibita, etsi cuncta spem omnem adimerent, facies collapsa, oculi concavi, et foetor, quem sub injectione Ill. Siebold ex utero perceperat. Paulo post oppressio pectoris, anxietas, orthopnoea exortae, sed rursus sedatae, tum conscientia evanuit, respiratio stertorosa, extremitatum frigus et mors placida subsecuta.

Sectio cadaveris haec docuit. Omnes corporis partes sanae sed maxime exsangues, corpus satis bene nutritum, panniculus adiposus admodum crassus erat. Uteri nondum rite contracti longitudo 7½. Pollic. Par., latitudo 6. Poll. Par., superficies externa peralba, locus unus reti vasorum sanguine repletorum notatus, a quo dolores illi in attactu profecti erant: parenchyma perinde album, quasi lardi simile, crassum, sine duritie: superficies interna omnis livida, coerulea, resoluta, quae facile deterebatur scal-

pello, praesertim quo loco placenta inhaeserat. Vagina maculis non carebat: e dissecto utero foetor dispersus est.

Hoc in casu vita inter graviditatem sollicita et aerumnosa, cura et moeror, foetus prave situs, uteri expansio obliqua, fortasse et magnitudo foetus, cujus pondus erat 12 ℔. P. M., longitudo 20″. 3‴. Par., et metrorrhagia in puerperio priori putrescentiae ansam dedisse videntur. Metrorrhagiae praesentis prima causa fuerat insertio placentae vitiosa, iteratae contractio uteri ob imminutam irritabilitatem non justa, vasaque laesa idcirco non rite clausa. Sanguinis jactura copiosissima mortem eo celerius adduxit, simul cum putrescentia vires exhauriens.

Historia putrescentiae incipientis sanatae.

H. F. annorum 21. die 30. Nov. 1818. in institutum Ill. de Siebold recepta, inde a mense Aprilis praegnans, ab initio graviditatis bene se habuerat, sed sub finem metrorrhagiam maxime profusam passa est, ut ipsa dixit librarum 18—20. Tempore quo suscipi peteret, vultus cachecticus, color subflavus, oculi languidi, totum corpus emaciatum atque debile, appetitus ciborum nullus, pulsus parvus, debilis, animus tam tristis, ut aegra saepe sponte illacrimaret. Abdomen

sub attactu aliquid doluit, uterus permollis et relaxatus sensus, digitoque appresso parum resistens. Ex his omnibus putrescentia uteri imminens conjecta et cura in eam adhibita est. Victus et regimen quum animi tum corporis apte instituta atque pro interno usu praescriptum est Decoct. Cort. Peruv. et cort. aurant. c. Tinct. cinnam., pro usu externo solutio balsami Peruv. in spir. vini cum liq. ammon. caust., pro potu decoct. lich. Island. Quibus remediis utens aegra optime convaluit, aspectus cachecticus sensim emendatus, viribusque augescentibus tristitia animi et timor partus prope instantis evanuerunt, quo 13. Januar. gemellos feliciter enixa est.

Curriculum vitae

ex Decreto

Gratiosae Facultatis medicae adjectum.

Ego J. Locher, Turicensis Helvetus, natus sum III. Calend. Martii Anni 1797. in Aawangen, vico pagi Thurgoviensis, patre J. Lochero, ejusdem loci pastore, et matre Susanna e gente Nüscheleriana. Annum quartum nondum assecutus patrem morte amisi. Sed quem amiseram in Viro Ven. Bremio, Canonico nunc Turicensi, summa pietate semper mihi colendo, recuperavi: a quo adoptatus ex loco natali in patriam urbem, Turicum, collatus sum, ibique in domo ejus degi ut filius. Públicas a primis inde scholas emensus in Gymnasio Carolino linguarum tum veterum tum recentiorum, matheseos, philosophiae ceterorumque, quae humaniora dicuntur, studio operam dedi. Anno 1816 a Theologia, quam adhuc petieram, ad medicam artem conversus, Institutum medic. chirurgicum Turicense frequentabam: Encyclopaediam medic. univers.

a R.

a R. Rahnio, Botanices elementa, physices capita aliquot et materiam medic. a S. Schinzio, anatomiam universam a Frisio, physiologiam et medicinam forens. a R. Schinzio, pathologiam et therapiam generalem a Zundelio, pharmaciam, chemiam pharmaceuticam et methodum formulas conscribendi ab Jrmingero, chirurgiam et acologiam a L. Meyero, artis obstetriciae doctrinam a Spoendlino accepi, eoque duce in machina, phantome dicta, partem hujus artis mechanicam exercui; pathologiae et therapiae specialis capita D. Lavaterus tradidit: H. Lavatero auspice, qui summa benevolentia semper me prosecutus est, primum ad aegrotorum lectos aggressus sum. Anni 1818. primo vere e patria Berolinum profectus, ut, quae a viris optime meritis atque eruditissimis jam acceperam, excolerem. Hic, Marheineke Rectore M., in cives academicos receptus has scholas frequentavi: Per semestre aestivum Turte de physice experiment., Rudolphi de anatom. comparata, C. W. Hufelandi institutt. medic., Heckerum de semiotice, a Siebold de arte obstetr., Hornium de morbis syphilit., Gräfium de ophthalmiatr. auscultavi, ac Berends clinicen medicam. Per hoc semestre hibernum C. W. Hufelandi de therap. speciali morborum acut., Richteri de therap. morb. chronic. et Osann de formulis conscribendis lectiones audivi, atque Heckeri disputa-

tionibus latinis rursus interfui. In institutis clinicis medicis, tam in eo, cui Hufelandius, quam in eo cui Hornius praeest, et in instituto clinico med. obstetr. de Siebold aegrotantium curam gessi. Mense Januarii h. a. coram Ill. Medicorum Ordine examen rigorosum subii, post superatum ab eo probatus.

Theses defendendae.

1) Morbi mere dynamici non sunt.

2) Febris gastrica non est.

3) Sanguis vitalitatem habet.

4) Specifica sunt remedia.

5) Systema reproductivum non est proprium.